
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO VII.

DE

ASYLLOGI-STIA SEU INCONSEQUEN-TIA ARGVMENTATIVA

ΕΞΕΤΑΣΙΣ PRIOR

Formalem inconsequentiam exhibens

Exemplis maximam partem Theologicis illustrata

Disputatorij exercitij loco in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis vices sustinente

NATHANAELE ROSTEVSCHERO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 9. Januarij S. N.

In Auditorio Philosophorum

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO ex-scripta. ANNO 1636.

I.

CRates, *Thebis oriundus Philosophus, ille, qui ut Lar familiaris apud homines suæ ætatis apud Athenienses cultus fuit, litium omnium inter eos & jurgiorum disceptator pariter atq; arbiter, quomodo eum describit* Apulejus l. 1. flor: *rogatus aliquando, quoad usq; homini philosophandum putaret, respondit, donec quis* dux exercitus asinarij esse, *& agasonē agere didicerit. Narrante* Erasmo l. 7. apoph: *in Cratete*, §. 13. *Quo allegoricè velare voluisse putatur, eousq; Philosophiæ homini tractāda studia esse, donec affect⁹ in imperio habere, & vitia velut asinosâ nō debitis pascuis abigere perdidicerit. Nō absurdè rogatus quis, quoad usq; theoriæ Philosophicæ vacandum esse putaret, reponeret, donec erronearum opinationum, velut asinorum & agnitor & extirpator posset existere. Nec ineptiùs quoad usq; Logicis subtilitatibus incubandum esset, quæsitus alius responderet, tantisper eas tractandas, dum ineptas argumentationes velut fœtus asinini & insulsi cerebri â non competente foro pernoverit secludere. Ostendet hæc disceptatio* generales quosdam modos *ineptarum ratiocinationum, & fontes solutionum velut per ideam subministrabit. Atq; hic* Theologicæ cumprimis applicationis *habebitur ratio; Vt ex ejus disciplinæ sacrarÿs petita exempla debitis resolutionibus maximam partem adhibeantur.*

2. *Inconsequentiæ* vox *potest sumi* vel generalissimè, *pro quavis sequelâ non benè eductâ, etiam quando in consecutione nudarum propositionum sine medio termino inferendi, seque-*

læ ſpectator imbecillitas. Quomodo & conſequentiam quandam ἀσυλλόγιστον in nudâ propoſitionum ex ſeſe eductione conſiſtentem concedunt Authores, ut in ſubalternatione, æquipollentiâ, converſione & conſecutione propoſitionum, V. Fonſec. l. 6. Dial. c. 1. D. Kesler d. conſeq. c. 7. Vel generaliter, *pro ſequelâ illegitimâ argumentationum, quæ medio quodam termino expediuntur, ſive eæ ſint* perfectæ, *ut quæ ſimplici & completâ formâ conſtant, quales ſunt, quæ in 1. 2. aut 3. figurâ Logicâ formantur; ſive* imperfectæ, *ut quæ formis compoſitis, Enthymematicis, inductivis, & ſimilibus imperfectis procedunt:* Vel ſpecialiter, *pro illegitimâ perfectarum argumentationum, quas Syllogiſmos perfectos vocamus, conſequentiâ. Et de hac in præſens nobis erit diſceptationis potiſſima cura. De imperfectarum argumentationum inconſequentiis non admodùm hac vice ſolliciti. Niſi ſi quid* obiter *& velut per tranſcurſum majoris lucis gratiâ interſpergatur.*

3. Inconſequentia eſt vitioſitas argumentationis ſyllogiſticæ, quâ id, quod infertur, ex ante præmiſſis legitimâ deductione non conſequitur. *Dicitur* vitioſitas, *i. e. anomalia, defectus, obliquitas & irregularitas, quomodo conſequentia eſt perfectio, & velut norma & forma legitimæ argumentationis.* Non conſequi *eſt non habere reſpectum & aptitudinem antecedentis & conſequentis ad invicem, ut antecedens poſſit ſtare ſine conſequente, & conſequens poſſit eſſe ſine antecedente verum. Vt: Petrus rexit Eccleſiam Romanam cum poteſtate præſidendi. E. Papa Romanus eſt ejus ſucceſſor cum eadem poteſtate.*

4. Inconſequentia eſt vel formalis vel materialis. Formalis eſt, *cum ipſa procedendi forma eſt illegitima. Modos ejus exhibebit* th. 5. 6. 7. *ſeq.* Materialis eſt, *cum termini in præmisſis connexi aut habitudo eorum ex ipsâ re per ſignificata vocum importatâ, illegitimè ſe habent. Vt: Petro dictum,*

Paſce

Pasce oves meas. E, Papæ Romano commissa est cura Universæ Ecclesiæ. Formalis est vel syllogismi perfecti, *apertâ simplici & plenâ formâ procedentis, Ut cum in figurâ 1. 2. aut 3. argumentum formatur:* Vel imperfecti, *formâ involutâ, compositâ & deficiente procedentis, ut cum Enthymematibus, soritis, inductionibus, syllogismis compositis & similibus proceditur. Inconsequentia* Syll. perfecti est vel generalis, *quæ communis est omnibus figuris ex æquo:* vel specialis, *quæ alicui figuræ in specie competit.*

5. *Inconsequentiæ formalis generalis hi modi esse possunt.* 1. Cum termini syllogistici pauciores sunt, quà sensum, quàm esse debent. *Tres esse debere, ex* dicto de omni & nullo, *principio rationis* in ipsa Naturâ à Deo *immotè fixo, & naturali intellectu noto, deducitur. Vitiosum ergò, si pauciores sint. Vitiositas hæc* dupliciter *potest contingere.* 1: Cum verus terminus Minor deest quà sensum, etsi videatur adesse quà sonum. *Huc hæc exempla pertinent. Ubi est λόγος, ibi est humanitas. In humanitate est λόγος. E. in humanitate est humanitas. Deus filius est in Christo. Christus est Deus filius. E. Christus est in Christo. Deus verbum est in homine. Homo in Christo, est Deus verbum. E. homo in Christo est in homine. Deus incarnatus assumpsit hominem. Homo Christus est Deus incarnatus. E. homo Christ. assumpsit hominem. Iustitia Lutheranorum est in Christo. Christus est justitia Lutheranorum. E. Christus est in Christo. Anomia est in omni peccato. Omne peccatum est anomia. E. om. peccatum est in omni peccato. Essentia divina est in Patre. Pater est essentia divina. E. pater est in patre. Tota plenitudo divinitatis inhabitat in Christo. Christus est tota plenitudo divinitatis. E. Christ. inhabitat in Christo. Omnia sunt in Deo. Deus est omnia. E. Deus est in Deo. Verbum Dei est in scripturâ sacrâ. Scriptura s. est verbum Dei. E. scriptura est in scriptu-*

râ. Intellectus est in animâ. Anima est suus intellectus. E. anima est in animâ. Deus est in cœlo majestatico. Cœlum majestaticum est ipse Deus. E. Deus est in Deo.

6. Variè â diversis ad horum argumentorum quædam responderi solet. 1. Quidam respondent, in majore non distribui medium terminum completè, quod tamen in 1. figurâ, in quâ hi syllogismi formentur, vi formæ fieri debeat. Sic inferendum esse: Om. id, quod est Deus, est in Christo. Christus est omne id, quod est Deus. E. Chr. est in Christo. Sic putant, majores falsas fore. Ita Danhaver. ide. boñ. disp. ſ. 2. §. 61.

Hæc solutio magis ad materiã majoris respondet, quàm formã. Respuitur major, ut nexum terminorum falsò se habentem adducens. At ex ipsa formali terminorum dispositione potius vitium ostendendum esset, si in eo inesse ostendi posset, quod posse postea docebitur. V. t. 7. 2. Est particularis, non Universalis. Fac ita informes majorem, In multis exemplis nihil istâ limitatione proficies. E. g. Om. id, quod est Deus filius, est in Christo. Chri. est omne id, quod est Deus filius. Restabit eadem conclusio cum priore, E. Chr. est in Christo, Et difficultas non erit soluta. Sic: O. id, quod est Deus verbum, est in homine Christo. Homo Christus est omne id, quod est Deus verbum. E. homo Chr. est in hom. Christo. O. id, quod est justitia Lutheranorum est in Christo. Christus est omne id, quod est justitia Lutheranorum. E. Chr. est in Christo. Hic eadem Conclusio identica & nugatoria, idem eidem inesse dicens. 2. Alij ad quædam horum respondebunt, majores non totaliter enuntiare prædicata sua. Sic v. g. non dicendum esse, essentia divina est in patre: sed, essentia diu: est in patre, filio, & Sp. S. conjunctim sumptis. Huc inclinat Kecker. l. 1. sys. Theol. c. 4. p. 67. Hoc 1. etiam magis est ad materiam & terminos majoris respondere, quàm formam & terminorum dispositionem. 2. Inconveniens est ex eo, quod inferat, majorem incomple-

pletum prædicatum habentem esse falsam, quod tamen non est. Nec enim statim falsum, quidquid incompletè enuntiatur. Humanitas est in Petro, verum est: etsi simùl sit in Paulo, Iacobo, & sic incompletè major enuntietur. Sic verũ: Ess. diu. est in patre: etsi simùl sit in filio & Sp. Sancto. 3. Non tollit difficultatem harum argumentationum. Fac sic formes: Essen: div: est in patre, filio & Sp. S. Pater, fil. & Sp. S. sunt essentia divina. E. pater, fil. & Sp. S. sunt in patre, filio, & Sp. S. Quod non minus nugatorium, ac quod priore conclusione inferebatur, & difficultas non est soluta.

7. *Tutissima ad hæc & similia est responsio,* omnia ista argumenta constare tantùm duobus terminis, majore & medio, *& novum terminum, qui verus minor esse debebat, hic non adesse, sed resumi eundem terminũ materialem pro minore, qui positus fuerat pro majore, etsi alio casu & significandi attribuendiq; modo. Sic in 1. exemplo,* λόγος *est med. terminus, humanitas major. At ille idem terminus materialis, humanitas, resumitur in minore pro term: minore, cum prorsus novus & alius adduci debuisset, ut ternarius materialium terminorum in syllogismo sibi constaret. Non enim oportet terminum, quem pro majore jam adduxeris, iterum pro minore adducere, s. eodem casu, s. diverso: sive ex toto, sive ex parte: sive eodem attribuendi modo, sive diverso. Peccatur enim defectu materialium terminorum syllogisticorum, qui tres esse debent, non tantùm duo. Hoc sequentibus exemplis palàm fiet. Homo est in Petro. Petrus est homo. E Petrus est in Petro. Albedo est in pariete. Paries est albus. E. paries est in pariete. Humanitas est in Petrinitate. Petrinitas est humanitas. E. Petrinitas est in Petrinitate. Animal est in homine. Homo est animal. E. homo est in homine. Animatum esse est in leone, tauro, &c. Leo, taurus, est animatus. E. leo, taurus, est in leone, tauro. Om: materiatum est in corporeo*

reo. Om. corporeum est materiatum. E. om. corporeum est in corporeo. O. color latiùs patet albedine. O albedo est color. E. om. albedo latiùs patet albedine. O. animal latiùs patet bruto. O. brutum est animal. E. om. brutum latius patet bruto. Anima bruti est in sanguine. Leu: 17. v. 11. *sanguis est anima bruti.* Deut. 12. v. 23. *E. sanguis est in sanguine. Sp. S. est in columbâ.* Matt. 3. v. 16. *Columba est Sp. S. E. columba est in columbâ. Hic eadem est materia termini majoris & minoris, etsi alio casu prolata: & sic minus est terminorũ, quàm par est, adeoq́ consequitur conclusio identica, i. e. inepta & nugatoria.*

8. *Et ex hoc vitio identitatis terminorum etiam* alterum *promanat,* majorem & minorem in ipsâ re esse, ejusdem sensus & significationis, *& sic sensu verè æquipollere, etsi diversis sonis & casibus sint prolatæ. Idem quâ sensum est, si dicas, Deus λόγος est in Christo, &, Christus est Deus λόγος. Albedo est in pariete, & paries est albus: Anomia est in peccato, & peccatum est anomia: justitia Lutheranorum est in Christo, & Chr. est justitia Lutheranorum: Materiatum est in corporeo, & corporeum est materiatum, & sic consequenter. Potest enim quod est in aliquo, certo respectu esse ipsum, quod inest, ut exempla allata docent, & ostendit* D. Kesler. d. 4. Meta. Phot. gen: th. 1. *Ita quia præmissæ sunt quâ sensum identicæ, i. e. ineptæ ad dispositionem argumentativam, non mirum, emergere eandem conclusionem identicam, i. e. ineptam & nugatoriam. Ad eandem formã ex Pontificiorum fide concludes: Infallibilem esse in judicandâ publicè fide est in Pontifice Romano. Pont. Rom. est infallibilis in judicandâ publicè fide. E. Pont: Rom: est in Pontifice Romano. Summum judicem fidei Christianæ esse est in Papâ. Papa est summus judex fidei Christianæ. E. Papam esse est in Papâ. Clericos esse est in Monachis & Iesuitis. Monachi & Iesuitæ sunt Clerici. E. Monachi & Iesuitæ sunt in Monachis*

&

& Iesuitis. Hic consequentia planè est luxa ex defectu terminorum. Si alium & novum terminum subsumpseris, benè procedet: Vt: Iustitia Dei est essentia Dei. Misericordia â parte rei est Iustitia Dei. E. misericordia est essentia Dei. Intellectus est in animâ rationali. Voluntas secundum rem est intellectus, ex mente Scoti. E. Voluntas secundum rem est in animâ. Homo est animal. Qu. corpus sensitiuum est homo. E: quod corp. sensitiuum est animal. O. Petrus est homo. Qu. rationale est Petrus. E. quo:rat: est homo. O. Vnū est in ente. Om: verum est vnum. E. om. verum est in ente. Etsi in his ter: major & minor saltem ratione differant, tamē legitimè infertur, quia minor sumitur vt diversa materia â majore, non simpliciter eadem, Et sic novum terminum satis facere potest. At vbi prorsus eadem materia praecedentis termini repetitur, novus terminus non repetitur, & sic numerus materiae Syllogisticae sibi non constat.

9. *Dices: Ex terminis identicis admittuntur propositiones in parte Logi: secundâ, modo sit diversa habitudo rationis in terminis dispositis, vt, Deus est suus intellectus, bonitas, justitia: Anima est suus intellectus, voluntas, sec: Scotum, &c. E. & ex talibus terminis admittendae argumentationes in parte tertiâ. Et sic satis est, eundem terminum pro majore & minore adduci, modò sit diversa habitudo & attributio.* R. 1. Propositiones *ex terminis identicis sunt* variæ: *Quædā* jntensivæ *& Rhetoricæ, Vt, homo horis matutinis verè est homo: Quædam* ingeniosæ *& Philosophicæ, vt anima â parte rei est suus intellectus, voluntas: Vnum â parte rei est ens, verum, bonum: justitia divina â parte rei est bonitas, misericordia, &c. Hæ admittuntur in parte 2. Log:* Quædam *sunt* Crudæ & insipidæ, *quæ ab Auerroë dicuntur esse in fine abominationis, quod mens cupida discendi nihil per eas instruatur, sed eludatur. Hæ sunt ineptæ & nugatoriæ, & re-*

*ſpuuntur ab operatione Logicâ tanquam vanæ, vt rectè do-
cent* Zabarel. L.1. d.pro: nec : c.6. Goclen. p.3. probl.24.
*Ad has pertinent hæ, Christus est in Christo, Homo est in homi-
en, Petrus est in Petro & similes. Nihil extra animum ſibi
ipſi ineſt, & ſic prædicationes prorſus ſunt præternaturales,
vt benè* Zaba. c. I. *pta quia reſpuuntur prop: identicæ Cru-
dæ in parte ſecundâ, minus laborandum de illis in parte ter-
tiâ, quomodo vel pro jllatione ſint ponendæ, vel ex præ-
miſſis educendæ. Quid enim docetur intellectus his propo-
ſitionibus.? Deus eſt in Deo, homo eſt in homine, Petrus eſt in
Petro, Chriſtus eſt in Chriſto. Idem ac iſtis, Gladius eſt en-
ſis, homo eſt homo, terra eſt tellus, Centaurus eſt centaurus,
& ſimilibus. Non inſtruunt intellectum, ſed fodicant & elu-
dunt. Ex jdenticis Philoſophicis & intenſivis aliquid conclu-
di poteſt, quia terminus tùm ſumitur ut alia & nova materia
ab altero termino.* V. t. 8 *ſed ex crudis nihil infertur, & â parte
2. Log. reſpuuntur.*

10.2. Poſito, etiam crudas in parte 2. admitti, tamen
*est diverſa ratio propoſitionis & argumentationis. Propoſi-
tio tantùm enuntiat prædicatum de ſubjecto, ſive reſ. ratio-
ne illud ſit diverſum, perinde eſt. Per id natura termini.
qui prædicatum dicitur, non corrumpitur vel minuitur.
At argumentatio præterea debet* probare ineſſe aliquid vel
non ineſſe. *Hoc non ſolis habitudinibus diverſis vel non
diverſis perfici poteſt, ſed requiritur præterea* numerus
certus & apparatus materiæ, *ex quâ argumentatio ſit con-
ſtituenda. Hæc materia ex tribus diverſis terminis ſub habi-
tudine diverſorum & non eorundem ſumptis conſtituitur, vt
ſibi natura argumentationis conſtet. Vbi vacillat numerus
iſtorum terminorum, ſuperando vel deficiendo, ibi turbatur
naturalis & perfectus ordo argumentativæ jllationis. Et ſic
non ſatis est ad legitimam argumentationem, eſſe diverſam
ratio-*

rationem unius termini ad ſeſe, bis repetiti: ſed oportet trinam eſſe diverſam materiam in argumentatione. Secus turbatur jllatio. Sic non ſatis eſt, diverſam habitudinem enuntiandi eſſe, eſſe in Chriſto, & eſſe Chriſtum: ſed oportet planè novam & diverſam materiam adeſſe ab iſto termino, Chriſtus, ut ſufficiẽtia materiæ ſibi conſtet. Sive jam ſit diverſitas terminorum prorſus realis, *ſ. quandoq́;* rationalis, *dummodò ſumatur alter terminus ut nova & alia materia â priore, ſatis eſt &c.* Debent in argumento tres termini materiales diverſi eſſe, non tres ſolùm terminorum *diverſæ habitudines vel attributiones. Materia n. Syllogiſmi ſunt* tres termini materialẽs, *non tres terminorum habitudines. Flexio ad compoſitionem tantum & attributionem terminorum facit, per ſe nouum terminum non facit. Et ſic ubi numerus ipſe terminorum materialiter ſumptorum non eſt completus, ſed vel deficit vel excedit, turbatur argumentatio perfecta, de quâ jam loquimur. De imperfectâ, ut Enthymematicâ, Soriticâ, inductivâ, non eſt quæſtio. Ergò ut ſibi numerus materiæ conſtet, debet planè novus & diverſus terminus minor â majore in Syllogiſmo aſſumi, non idem ille, qui fuerat major, repeti, ſ. ſub eadem, ſ. ſub diverſâ habitudine. Diverſa n. habitudo hic novum terminum verum materialem non facit, ut reſolutio & compoſitio terminorum in Syllogiſmo docent.* Reſolutio: *Vt Eſſe humanum eſt in Petro. Petrus eſt eſſe humanum. E. Petrus eſt in Petro. Hic Petrus, qui eſt vera materia termini, eſt terminus & major & minor, & ſubjectum & prædicatũ quæſtionis, etſi in uno ſit pro caſu recto, altero pro deflexo. Qui caſus ad enuntiandum magis faciunt, quàm Syllogiſticè variandum numerum terminorum; niſi aliunde quid accedat; ut terminus rectus & obliquus diverſi inter ſe confundantur.* V: t. *18. Inde n. exſurgunt quatuor termini:*

At hic tertius terminus materialis, novus & diversus deest, & sic argumentatio paucitate terminorum labascit. Compositio: *Vt, Quæritur, an Petrus sit in Petro? Aff. medio sumpto ab esse humano. Hoc medium disponitur cum Petro ut termino majore, in Majore, & cum eodē ut termino minore jn minore, cum cum alio disponi debuisset; & sic reverâ tamē est terminus medius & major in talibus Syllogismis: Verum minor deficit, & sic non mirum, ex ineptâ & deficiente terminorum dispositione oriri ineptam & insulsam Conclusionem, identicam, & idem de eodem diverso saltem flexu vocum enuntiantem. Dignum nempe suâ patellâ operculum.*

II. Atq; eadem est ratio Syllogismorum in 2. & 3. figurâ *dispositorum, ex paucitate terminorum procedentium, vbi partim Conclusio identica & inepta, partim falsa per formā semper exsurget, quicquid sit de materiâ. Vt: verbū Dei est in scripturâ. scriptura nō est in scripturâ. E. scriptura nō est verbū Dei. In minore adducitur pro termino minore, scriptura: At ille jam erat in majore pro medio, etsi in casu deflexo, quod idētitati termini in Syllogismo non obstat, Vt* t. 10. *dictum. Et ex simili in 2. figurâ argumentatione patet. Sic: Deus est in patre: Pater non est in Patre. E. Pater non est Deus. Esse humanum est in Petro. Petrus non est in Petro. E. Petrus non est esse humanum. O. rationale est in homine. Homo non est in homine. E. homo non est rationalis. O. rugiens est in leone. Leo non est in Leone. E. Leo non est rugiens. Anomon esse est differentia peccati. Peccatum non est differentia peccati. E. Peccatum non est anomon. Rationale esse est differentia hominis. Homo non est differentia hominis. E. homo non est rationalis. Quamdiu non* prorsus diversum minorem terminum *à medio majoris in minore subsumpseris, non procedet collectio. At* illo subsumpto benè inferes, *E. g. Verbum Dei est in scripturâ, Commenta homi-*

hominum non sunt in scripturâ. E. Commenta hominum non sunt Verbum Dei. Omne rationale est in homine. Canis non est in homine. E. canis non est rationalis. Idem habendum de 3. figurâ. *E. g. malè infertur: Anomia est in peccato. Anomia est peccatum. E. Quoddam peccatum est in peccato. Essentia divina est in filio Dei. Essentia divina est filius Dei. E. filius Dei est in filio Dei. Corpus animatum est in Petro, Paulo, &c. Corpus animatum est Petrus, Paulus. E. Petrus, Paulus, est in Petro, Paulo. Rationale esse est in homine. Rationalem esse est homo. E. hominem esse est in homine. Idem terminus, qui erat major in majore, fit minor in Minore, casu tantùm deflexo, & enuntiandi modo variato, cum prorsus novus terminus adduci debuisset, ut ternio terminorum materialiter perficeretur. Repetitus ille ex majore apparenter tantùm est alius terminus & sono, non realiter & sensu Syllogismo competente.* Quod si novum terminum in minore *subsumpseris à majore, qui numerum term: Syllogisticorum verè perficiat, legitimè se habebit illatio. E. g. Benè infertur: Essentia divina est in Patre. Ess: Diu. est in filio. E. quoddam quod est in filio, est in Patre. Anomia est in peccato. Anomia est in homicidio. E. quoddam, quod est in homicidio, est in peccato. Corpus animatum est in homine. Corpus animatum est in substantiâ. E. quod est in substantiâ, est in homine. Hic tres termini legitimè sunt diversi, adeoq́ collectio debito modo procedit. In cæteris omnibus est vitiositas ex paucitate terminorum promanans.*

12. *Vitiositas Consequentiæ ex paucitate terminorum orta* II. tùm fit, cum verus terminus medius non adest quà sensum in Syllogismo, etsi videatur adesse quà sonum. *Hoc in istis argumentis contingit, quæ nugationes & cantus cuculi dici solent. Vt: Cuculus cuculat. Coccyx est cuculus. E. Coccyx cuculat. Vbi conventio est facta, ibi est facta.*

At hic facta est. E. est facta. Quod est perpetuum, est immortale. Sempiternum est perpetuum. E. immortale. Quod summum habet calorem, est summè calidum. Ignis summum habet calorem. E. est summè calidus. Cujus utriusq; gladij datum, habet potestatem civilem & spiritualem. Papæ Romano jus utriusq; gladij est datum. Ergò. Si animal rationale habet optimum tactum, homo habet optimum tactum. Sed animal rationale habet. Ergò. Hic medium probans quà rem idem est cum quæsito probando, & sic nullus competens medius Terminus: adeoq; pauciores sunt termini, quàm esse debent.

13. Inconsequentiæ formalis generalis *modus* JJ. est, cum termini Syllogistici sunt plures, quàm tres. *Hoc iterum variè fieri potest.* 1. Apertè multiplicando terminos. *Vt: Verus Deus est infinitus. Filius Dei non est infinitus Pater. E. Filius Dei non est verus Deus. Essentia in Deo est realiter idem cum filiatione in Deo. Paternitas in Deo est realiter idem cum essentiâ in Deo. E. paternitas est idem realiter cum filiatione in Deo. Medium in minore planè est aliud ab eo, quod est in majore. Aliud, esse essentiam in Deo, aliud, esse realiter idem cum essentiâ in Deo.* 2. Occultè variando sensum illorum. *Hoc iterum variè fit.* 1. Terminos ambiguos adducendo. *Vt: Deus est spiritus infinitus & æternus. Magistratus est deus. E. est spiritus infinitus & æternus. Diabolus est spiritus invisibilis. Iudas proditor est Diabolus.* Ioh. 6. v. 10. *E. Iudas est spiritus invisibilis.* 2. Suppositiones terminorum, *ut vocant*, confundendo. *Vt cum acceptiones materiales cum formalibus, simplices cum personalibus, confusæ cum determinatis, collectivæ cum distributivis, absolutæ cum respectivis, & similes commiscentur. Vt: Essentia divina est quid communicabile. Pater non est quid communicabile. E. Pater non est essentia divina. Divinitùs revelatum est objectum Theo-*

logiæ

logiæ adæquatum. Dogma Trinitatis est divinitùs revelatum. E. est objectum Theologiæ adæquatum. E. & quilibet articulus revelatus in particulari. Deus est Deus vivorum. E. & impijs, qui vivunt, Deus est Deus. Aliquid in divinis generatione est productum. E. Pater vel Sp. S. Om. Apostoli Christi sunt duodecim. Petrus & Iacobus sunt Apostoli. E. sunt duodecim. Omnia prædicamenta sunt 10. Quantitas & qualitas sunt prædicamenta. E. sunt decem. Omnis pars est in toto. Totum est omnis pars. E. totum est in toto. Essentia divina est sine principio. Filius Dei non est sine principio. E. Non est essentia divina. Essentia Dei est re idem cum filiatione. Paternitas est re idem cum essentiâ Dei. E. Paternitas est re idem cum filiatione Dei. Essentia divina *in majore absolutè sumitur, in minore relatè.*

14. *3.* Novas determinationes terminis adijciendo, quæ non ante præmissæ fuerant. *Vt: Quod filius Dei non assumpsit, id nec redemit. Humanitatem propriâ subsistentiâ constantem, vel peccato infectam non assumpsit. E. nec talem redemit. Et consequenter nullus hominum redemptus, nam omnes tali humanitate constant.* Major *tantùm de substantiâ humanitatis loquitur,* Minor *apponit novas determinationes de modo subsistendi, accidentibus, qualitatibus, & similibus modificationibus, Quæ in sensu majoris non erant præmissæ. Huc pertinent & hæc exempla: Quod corpus in hac vitâ gestavimus, id & in futurâ gestabimus. Corpus animale, corruptibile, miserum, inglorium, morbis & morti subjectum in hac vitâ gestavimus. E. & tale in futurâ vitâ gestabimus. Quod corpus Christi in cruce pependit, id in Cœnâ manducandum exhibetur. Corpus mortale, vile, visui externo, ignominijs & morti subjectum in cruce pependit. E. & tale in Cœnâ manducandum exhibetur. Quod corpus in infantiâ habuimus, id & modò habemus. Corpus*

tenel-

tenellum & vix vlnam longum in infantiâ habuimus. E. & tale jam habemus. Quem pannum emisti, eum induisti. Pannum rudem & inconsutum emisti. E. & talem induisti. Corpus Christi est pro nobis crucifixum. Corpus gloriosum, quà gloriosum, & sedet ad dextram Dei, non est pro nobis crucifixum. E. corpus glori. quà glor. & sed. ad dex: Dei, non est corpus Christi. Deus est spiritus immortalis. Christus homo non est spiritus immortalis. E. Chr: homo non est Deus. Semper hic in minore nova est determinatio, *cujus sensus non praeassumptus fuit in majore.*

15. *Atq;* in vniversum non valet jllatio, *vbi noua determinatio non praeassumpta in majore , minori assuitur. Sive sit* determinatio modalis, s. exponibilis, s. comparativa, s. qualiscunq;. *Hoc exempla planum facient.* Determinatio modalis: *Vt: Om. Philosophus est animal rationale. Contingit quendam hominem esse Philosophum. E, contingit qu: hom: esse animal rationale. Om. Adulterium est peccatum. Impossibile est homicidium esse adulterium. E. Impossibile est homicidium esse peccatum. Fides justificat. Impossibile est opera esse fidem. E. imp. e. opera justificare. Formalis consequentia non est: quidquid sit de materiâ, per quam quidvis educi potest ex quovis.* Determinatio exponibilis, *i. e. exclusiva, exceptiva, & restrictiva.* Exclusiva: *Vt, Om. rationale est animal. Solus homo est rationalis. E. solus homo est animal. Qui eligunt Imperatorem Romanum, sunt principes Imperij. Soli Electores eligunt Imperatorem Romanum. E. Soli Electores sunt principes Imperij. Qui supremus est Imperij Romani, est Monarcha. Solus Imperator supremus est Imperij Romani. E. Sol: Imp: est Monarcha. Qui pro nobis irae divinae satisfecit, est Mediator noster. Solus Christus pro nobis satisfecit irae divinae. E. Solus Christus est Mediator noster. O. electus*

est

est redemptus. Solus finaliter credens est electus. E. solus finaliter credens est redemptus. Vt cunq; materia se habeat, per formam non est consequentia.

16. Exceptiva: *Vt, Om. Electus est Deo carus. Om. homo, præt. finaliter incredulum, est electus: E. om. homo, præt. finaliter incredulum, est Deo carus. Et sic qui ad te m-pus sunt adulteri, fures, homicidæ, sunt Deo cari. Om. homo habet sensum. Om: animal, præter brutum, est homo. E. Om. animal, præter brutum, habet sensum; & sic brutum non habebit sensum. Om. electus est vocatus. Om. homo, præter reprobum, est electus. E. Om. homo præter reprobum, est vocatus, & sic reprobus non erit vocatus. Om. genitum ex muliere est animal. Om. homo, præter Adamum, est genitus ex muliere. E. Om. homo, præter Adamum, est animal, & sic Adamus non erit animal.* Restrictiva, *eaq; vel* specificativa *vel* reduplicativa. Specificativa, *Vt: Quod natum est ex Mariâ, est filius Dei naturalis. Christus secundum humanitatem natus est ex Mariâ. E. Chr: sec: hum: est filius Dei naturalis. Filius Mariæ est filius Dei æternus. Christus secundum carnem est filius Mariæ. E. Chr: secundum carnem est filius Dei æternus. Quæ conclusio omninò falsa, rectè dicente* Scharfio.l.3.Log.c.11. *Sic, qui descendit de cælo, est panis vitæ. Christus secundum divinitatem descendit de cælo. E. Chr: sec: divinit: est panis vitæ. Contra* Ioh. 6. v.51. *Vel hoc modo: Panis vitæ descendit de cælo.* Ioh: 6. v.33. 50.51. *Christus secundum humanitatem est panis vitæ. E. Ch. sec. hum. descendit de cælo. Qui passus est carne, est Creator cæli & terræ. Christus, quà homo passus est carne. E. quà homo est creator cæli & terræ. Qui est crispus, est corpus animatum. Homo secundũ capillos est crispus. E. homo se. capillos est corpus animatũ. Om. homines sunt peccatores. Renati quà renati, sunt homines. E. renati quà renati sunt*

peccatores. Om. pater est à Deo. Eph. *3.* v 1 5. *Diabolus quâ mēdax est pater.* Ioh. 8. v. 44. *E. Diabolus quâ mendax, est à Deo.*

17. Reduplicativa: *Vt, Qui corda & renes scrutatur, exercebit vltimum judicium. Christus quà Deus, i. e. quia Deus, corda & renes scrutatur. E. quà Deus, i. e. quia Deus, exercebit vltimum judicium. Cum tamen ideò sit exerciturus, quia Deus per eum decrevit hoc facere,* Act. 17. v. *31. Eiq; omne judicium dedit.* Iohan. 5. v. 27. *Qui est omnipotens, creavit cœlum & terram. Christus, quia Deus, est omnipotens. E. Chr. quia Deus, creavit cœlum & terram. Cum tamen huius ratio sit, quia liberrimè voluit. Om. homines sunt peccatores. Renati, quia renati, non sunt peccatores. E. renati quia renati, non sunt homines. Semper in his est novus terminus medius minoris, quàm fuerat majoris, nam reduplicativæ sensu pertinent ad prædicatum, etsi sono videantur attinere subjectum, vt rectè docent* Scharf. l. 2. jnst. Log: c. 7. Stengel. p. 2. d. syllog: §: 27. Comparativa: *Vt, Quod est melius alio, est bonum quid. Fornicatio simplex est melior adulterio. E. fornicatio simplex est bonum quid. Peccatum vile non est in foro luendum. Furtum est vilius homicidio. E. furtū non est in foro luendum. Quò quis est doctior, eò est humanior. Aristoteles est doctior Platone. E. & Platone est humanior. Majores loqvuntur de* Cōparatione indeterminatè *sumptâ, abstrahendo ab hoc vel illo: Minores novum* determinationis subjectum *addunt, & sic inferuntur 4. termini. Aliud est, aliquid esse doctius, melius, indeterminatè: aliud, esse doctius Platone, melius adulterio, vilius homicidio, &c.*

18. 4. Multiplicantur termini Syllogistici, sensum terminorum abstractorum & concretorum, rectorum & obliquorum, denominantium & denominatorum, finitorum & infinitorum confundendo. Abstractorum & concretorum, *Vt: Malum non est à Deo creatum.*

Con

Cor hominis est malum. E. non est â Deo creatum. Deus est ipsa essentia divina. Homo Christus est Deus. E. homo Chr. est ipsa essentia divina. Rectorum & obliquorum: *Vt: Equus est aliud ab homine. Socrates est aliud ab equo. E. Socrates est aliud ab homine. Deus est spiritus æternus & infinitus. Humanitas Christi subsistit in Deo. E. hu. Ch. est spiritus æternus & infinitus. Calvinistæ huc solent redigere quosdam nostrorum syllogismos. Vt: Dextra Dei non est locus. Christus secundum humanitatem sedet in dextra Dei. E. Chr. secu. hum. non est in loco Divinitas Christi est vbiq;. Humanitas vnita est Divinitati. E. humanitas est vbiq;. Panis Eucharisticus comeditur propriè. Corpus Christi exhibetur vno actu cum pane Eucharistico. E. corpus Chri. comeditur propriè.* V. KecK: l.3. Log. s.1. c.4. §.2. Bilstē. l.2. Log. c.18. *Quomodo hac formâ procedunt, diffitendũ non est, apertam consequentiã formalem non habere. Interim rectè responsum â nostris, habere opertam & virtualem, & esse crypsin duorum syllogismorum, vt probatio majoris sit posita loco ipsius majoris, quod in argumentando brevitatis gratiâ complicatè quandoq; fieri non insolens est, vt exemplis ostendit* Goclen. p.4. prob: Log: q.62. *Et consentit Alsted.* l.9. Lo. harm: c.12.

19. Regerit ZanaKius l.3. c. Cl. I. M. s.1. c.4. q.1. *negando, esse tales syllogismos Crypticos, quod non contineant duos in se, sed reverâ sint unicus, etsi in duos formari possint. Tùm, etiamsi duo esse oncedantur, tamen illegitimam ipsorum esse formam. Nullam enim legitimam crypsin facere syllogismum vitiosum in formâ, quod in his syllog: fiat. Ad hæc breviter* hæc habenda. 1. Crypsis *syllogismi non tùm solum est, cum duo syllogismi actu in vno occultantur, sed & cum probatio principalis præmissæ cum alterâ præmissâ connectitur; Vbi in resolutione, si non totus novus Syllogismus emerget,* nova tamen aliqua propositio ab prioribus præmissis emer-

 get,

get, *quæ quia posita est loco ipsius præmissæ, quam probare debuerat, crypsi quadam & occultatione formæ syllogisticæ id factum esse dicitur.* 2. Reverâ *in istis & similibus syllogismis duo latent syllogismi inclusi: Quod si* Cl. J. M. contra KecKerm: c.l. & l.4. inst. Log. c.25. *satis clarè docenti credere noluisset* ZanaKius, *credidisset saltem suo* Goclenio, *idem* c.l. *docenti, & apertissimis exemplis ostendenti. Ex eo resumat, quomodo resolvendo hinc duo syllogismi efformari possint.* 3. Nulla *legitima crypsis facit syllogismum vitiosum in formâ, sc. legitimè resolutum; Nam sic omnes isti syllogismi ad justas formas reducuntur, si competenter resolvantur. Interim prout ipso actu crypticè proponuntur, justâ formâ carere dici possunt actu: sed quæ virtute in positis delitescat, adeoq́; per resolutionem inde sit eruenda.* Formâ virtualiter compræhensâ sunt *boni: actualiter propositâ à communi inferendi modo ob crypsin desciscunt. Illud demùm verè & rigidè vitiosum in formâ est, quod* nec legitimam *formam actu habet, nec* virtutem ejus in se, *per quam ad legitimam formam reduci possit. Hoc non est de istis syllogismis.* Alij *putant, licitam esse quandoq́; qualemcunq́; terminorum inflexionem in syllogismo.* Goclenio c. l. id ἄλογον *videtur.* Dn. Scheiblero d. syll. c. 1. n. 78. *non admittendum. Et in omni omninò argumentandi genere non debet admitti talis mutatio terminorum: Infert enim pluralitatem terminorum, & consequentiam turbat: In cryptico inferendi genere & admitti poterit, & sine periculo esse puto; modò & modus adhibeatur, & resolutio statim urgeatur talium argumentorum.*

20. Denominantium & denominatorum. *Vt: Deus est essentia spiritualis. Homo in Christo est Deus. E. homo in Christo est essentia spiritualis. Corpus Christi est pro nobis crucifixum. Panis s. cœnæ in vero usu est corpus Christi. E. panis*

panis s. cœnæ in vero vsu est pro nobis crucifixus. Veritas est conformitas entis ad suum intellectum. Vnitas in ente est veritas. E. Vnitas in ente est conformitas ad suum intellectum. Finitorum & infinitorum. *Vt, Essentia divina in patre est generans. Essentia divina in filio est non generans. E. quoddam non generans est generans, quod Contradictorium. Omne homicidium est peccatum damnabile. Peccatum in Sp. S. est peccatum, quod non est homicidium. E. peccatum in Sp. S. est peccatum, quod non est damnabile. O. album est coloratum. O. nigrum est aliquid non album. E. O. nigrum est aliquid non coloratum. Om. fideles sunt vocati ad fidem. Om. non credens est non fidelis. E. Om. non credens est non vocatus ad fidem. O. rationale est animal. Quod non est docile, non est rationale. E. quod non est docile, non est animal. Om. electus est credens. Qui non perseverat in fide, non est electus. E. Qui non perseverat in fide, non est credens. Minor hic fit negans ex terminis infinitis, qui in eâ ponuntur.*

21. *Inconsequentiæ formalis generalis modus* JJJ. *est,* cum genera prædicationum confunduntur. *Genera prædicationum sunt* modi attribuendi *prædicatum subjecto ex certo respectu vtriusq́; & considerandi ratione orti. Confunduntur ergò genera prædicationum, cum* modus considerandi physicus & hyperphysicus, naturalis & eminens, prædicamentalis & extraprædicamentalis, Grammaticus & Logicus, Philosophicus, Theologicus, Iuridicus *vel* Medicus, necessarius & contingens, essentialis & accidentalis, *confunduntur. Vt: Homo est animal rationale mortale. Deus in Christo est homo. E. Deus in Christo est animal rationale mortale. Corpus Christi est pro nobis crucifixum. Panis Eucharisticus in vsu Sacramentali est corpus Christi. E. Panis Eucharisticus in vsu Sacramentali est pro nobis crucifixus. Omnis caro est creatura Dei. Verbum divi-*

num in Christo est caro. E. Verbum divinum in Christo est creatura Dei. Homo est animal rationale. Quædam notio Logica, ut species, est homo. E. quædam notio Logica est animal rationale. KecK. c. l. §. *8. huc refert exemplum nostrorum: Panis comeditur ore. Panis est corpus Christi. E. corpus Christi comeditur ore. Vbi* majorem *esse propriam,* minorem *impropriam, & sic confundi genera prædicationum ait. Sed rectè reposuit* Cl. 1. M. l. 3. præ: KecK: ſ. 1. c. 4. n. 8. *intelligi ibi non panem vulgarem, qui vsitato modo comedatur, sed Sacramentalem & Eucharisticum, qui in vero vsu conjunctum habeat corpus Christi, & cum eo vno indiviso actu comedatur. Vt ergò* minor *rationi invsitata & præternaturalis est, panem esse corpus Christi, sic &* major, *panem talem comedi ore. Et sic in vtraq; servatur idem genus prædicationis, Est enim vtraq; invsitata & sacramentalis. Nec ad hæc aliquid regesſit* ZanaKius *defensor* KecK. l. 3. ſ. 1. c. 4. q. 2. *Et quæ ex* l. 2. ſ. *2.* c. 2. *allegat, parum ad hanc responsionem infringendam roboris habebunt.*

22. IV. *Modus jnconsequentiæ formalis est,* Cum novi termini in conclusionem adducuntur, qui non fuerant in præmiſsis, *& sic plus concluditur, quàm præmissæ permittunt. Vt: O. depositum est reddendū. Culter vel gladius est depositū. E. culter vel gladius est redde̅dus infa̅ti, furioso, irato, &c. Plura horum ad figuram 3. pertine̅t, de quâ* diſ: 9. *agetur. Pro quibus satisfactū, illi non tenentur satisfacere. Pro hominibus satisfactum. E. homines non tenentur satisfacere, & sic nec bona opera præstare.* V. *Modus est,* Cum minus in conclusione quà terminos aut planè aliud infertur, quàm inferri debeat. *Vt: Om. peccatores pænitentes recipiuntur in gratiam. Quidam homines non recipiuntur in gratiam. E. quidam homines non sunt peccatores. Sic inferendum, E. quidam homines non sunt peccatores pænitentes.*

Om.

Om. homo, si finaliter credit, est electus. O. incredulus est homo. E. omnis incredulus est electus. Omittitur membrum, si finaliter credit. Qui carent fide, non manducant corpus Christi fide. Impii carẽt fide. E. non manducant corpus Christi. Addendum erat membrũ, fide. Null. dextrũ est sinistrum. Omni homini altera manus est dextra. E. nulli homini est sinistra. Aliud infertur, quã à præmissis permittitur. Sic enim inferendum: E nulli homini manus dextra est sinistra, Quod verum.

23. VI. Cum ex meris particularibus aut negativis infertur. *Vt: Quoddam pec-catum est adulterium. Quidam actus malus non est adulterium. E. quidam actus malus non est peccatum. Nulla relatio ex malo facit bonum. Nulla justificatio est relatio. E. nulla justificatio ex impio facit pium. Nullum opus legis coram Deo justificat. Nulla fides est opus legis. E. nulla fides justificat. Nullus judex, qui non specialiter audit partes litigantes, & casum apertè decidit, est competens judex controversiarum fidei. Nulla scriptura specialiter audit partes & apertè decidit. E. nulla scriptura est competens judex controversiarum fidei. Huc pertinent & Syllogismi* ex puris impossibilibus *procedentes, qui æquipollent puris negativis. Vt si sic arguas: Impossibile est veram Ecclesiam Catholicam errare. Impossibile est Romanam Ecclesiam de nostrâ mente esse veram Ecclesiam Catholicam. E. imp: est, Ecclesiam Romanam de nostrâ mente errare. Ad eandem formam sic argues: Impossibile est Laicum esse Clericum. Imp: est Monachum esse Laicum. E. jmp: est Monachum esse Clericum. An in sacris argumenta occurrant ex puris negativis, ut ex* Ioh. 8. v. 47. Math. 10. v. 33. Rom. 8. v. 9. *quidam efformant, hoc fermè modo: Qui non est ex Deo, verbum Dei non audit. Iudæi non sunt ex Deo. E. Verbum Dei non audiunt. Et: Qui Spiritum Christi non habet,*

non

non est ejus. Impij spiritum Christi non habent. E. non sunt ejus. Qui Christum non hic confitentur, eos nec Christus coram patre confitebitur. Impij non confitentur hic Christum. E. eos Chr. cor. pat. suo non confitebitur, alibi videbo. Hic istud sufficiat dicere, nec usquam in sacris istos Syllog: sic formatos inveniri: nec si inveniantur, fore ex meris negativis. Danhaverus *pertinaciter contendit, esse tales ex puris negativis, sed excipiendos à communi processu figuræ primæ, benèq; aliàs procedere, & ad dictum de omni & nullo formatos esse.* Ide. disp. p: 291. 292: tr. d. Syll. inf. §. 2. 3. 4. apolog. pro eod tract. §. 12. 13. 14. *Communitur hoc negatur, & minor infinitè affirmans dicitur, non negans. Plura de hoc fortè aliàs.*

24. VJJ. Cum ex scopis dissolutis & præmissis non cohærentibus infertur, *ut cum ex oppositis concluditur. Vt: Nulla bona opera justificant. Omnia bona opera justificant. E. nulla bona opera sunt omnia bona opera. Sola bona opera justificãt. Non sola bona opera justificant. E. quoddã quod non justificat, justificat. Solus Papa est judex controversiarũ fidei. Nõ sol. Papa est jud. cõ. fid. E. quidã, qui non est judex controversiarũ fidei, est judex controversiarũ fidei. Solus homo est asinus. Non solus homo est asinus. E. quidam, qui non est asinus, est asinus. Ex* hypothesi ab adversario concessâ *interdum ex talibus præmissis inferri potest ad constringendum adversarium, unde inter affectiones Syllogismi ab* Aristotele *numeratur vis arguendi ex præmissis oppositis, quam in 2. & 3. fig. procedere dicit.* l. 2. anal.. prio: c. 16. 17. *Absolutè ex tali inferendi modo nihil legitimè infertur per formam, ut alibi pluribus dicetur. Ita ex præmissis oppositis ab Pontificijs concessis contra ipsos arguimus: O. peccatum promeretur mortem.* Rom. 6. v. 21. 23. *Nullum peccatum veniale promeretur mortem, ex sententiâ Papistarum. E.*

nullum

nullum peccatum veniale est peccatum, quod cōtradictorium. VJJJ. Cum termini præmissarum sunt inversi, & in aliâ figurâ *sunt, quàm in quâ primo intuitu esse videntur. Vt: Omnes illi ex animalibus sunt homines, qui Christum confitentur. Infantes, furiosi, dormientes, Turcæ, Iudæi, Christum non confitentur. E. non sunt homines. Om. illi sunt credentes, qui sunt electi. Renati temporarij non sunt electi. E. renati temporarij non sunt credentes. Illi sunt rationales, qui sunt Philosophi. Corydones non sunt Philosophi. E. Corydones non sunt rationales. Quos pater trahit, illi veniunt ad Christum.* Ioh:*6*.v.44. *Increduli non veniunt ad Christum. E. incredulos non trahit pater. Contra* Esaj. *65*. v.2. Rom.10.v.21. Mat. 23.v.37. *In Majore sunt termini inversi: Prædicata debent esse subjecta, & vicissim, sic erit dispositio* 1. *figuræ, & minor negans, quod contra formam istius figuræ.* JX. Cum termini in argumento propositi nullam vllius figuræ aut modi obtinent dispositionem. *Vt: Decreta Dei sunt multa. Essentia Dei est vnica. E. decreta Dei non sunt essentia. Decreta Dei sunt libera, essentia est necessaria. E. decreta non sunt essentia.* Ita. Vorst: not: ad dis: 3. t: 3.p: 190. & p: 2. c.Slad.p.205.schol.com; Lubb. p. 43. §. 10. *Hic nulla dispositio vllius figuræ, & consequenter consequentia non formalis. Perinde ac si sic arguas: Personæ divinæ sunt multæ. Substantia Dei est vnica. E. personæ non sunt substantiæ. Attributa entis, vnum, verum, bonum, sunt multa. Ens ipsum est vnicum. E. attributa ista non sunt ipsum Ens. Resolvendo & justè disponendo poterunt termini in 2. fig: disponi. Vt: Decreta Dej sunt multa. Essentia Dei non est multa. E. essentia Dei non sunt decreta Dei. Ita in cæteris. Sic quodammodo idem de talib: jllationibus habendum esset, ac de Crypticis supra dictum* t: 18.

25. *Ita inconsequentia* formalis generalis *secundum potissimos suos modos fuit: Sequitur* specialis, quæ est Syllogismi perfecti, vel in 1. 2. vel 3. figurâ formati. *In prima: Vt,* 1. cum major est particularis, & minor vel apertè vel opertè & virtualiter negans. *Huc pertinet Syllogismus iste nuper ex Papistâ auditus: Actus perfectus justificat. Fides sine operibus nō est actus perfectus. E. fides sine operibus non justificat.* Major *est particularis. Fac enim universè inferas: Omnis actus perfectus justificat: & sine dubio videbis falsum. Temperantia, fortitudo, veracitas, & qualibet virtus in specie est actus perfectus, est enim effectus perfecti habitus, à quo actus per se non nisi perfectus. Ergonè statim justificare dices?* Minor *est negans, ut ex dispositione Syllogisticâ patet. Removetur enim subjectum minoris à subjecto majoris in 1. figurâ, & sic sumitur ut exclusum separatumq; ab isto, quod infallibile indicium est, minorem tùm esse negantem.* V. Dn. Scheibl. d. Syll. c. 2. n. 16. *Eritq; illatio ad hanc formam: Homo dives est animal rationale. Mendicus, Pauper sine divitiis non est dives. E. Pauper sine divitijs non est animal rationale. Papa Romanus est infallibilis in judicandâ fide. Christus non est Papa Romanus. E. Christus non est infallibilis in judicandâ fide. Huc pertinent omnia ista exempla, quæ ex* minore virtualiter negante *in 1. fig: procedunt, ut propositiones* exclusivæ, exceptivæ, restrictivæ, comparativæ, coarctativæ, impossibiles, disjunctivæ, & *similes, de quibus ex parte dictum* th. 15. 16. 17. *pluribus alibi dici poterit. Hic non omnia ob prolixitatem deducenda. Si nugas tyronum dixeris, quæ ad modos Barbara, Celarent, &c. solicitè redigantur, vide ne principia* ipsius luminis naturæ, *Dici de omni & nullo, à Deo in naturâ immotè fixa, & â nobis animadversa saltem, non condita, unde modi isti sunt derivati, nugas voces. In Deum Authorem luminis Naturæ pa-*

rum piè: In naturam, solertem parentem, parum verecundè.

26. *2.* Cum novi modi præter 4. vsitatos addun-tur figuræ primæ, & *justi formales modi esse putantur. Hoc fit, 1. addendo modos* indirectos, *verum quidem infe-rentes, sed processu innaturali, & super quem non fertur dis-cursus naturalis legitimè se habens. Tales sunt, Baralip. Ce-lantes, dabitis, &c. de quibus videantur Logici.* Con. Schei. c. l. c. 6. n. 12. 13. *2. addendo planè novos modos verum in-ferentes per materiam, non formam præcisè. Hoc fecisse quendam Logicæ Rameæ Authorem narrat* dn. Cor. Mart: l. d. anal. Log. p. 1. c. *7. qui singulis figuris 24. modos adscri-psit, & ita primæ ultra 4. vsitatos* 20. *alios. Vt modum Caden-tes, Narrari, Bigamis, &c. Sed illa omnia per formam nihil concludere c. l. exemplis benè ostendit* D. Co: Mart. *adeoq́; inconsideratè hæc subjunguntur cæteris modis formalibus, & per formam inconsequentur procedunt.*

27. In 2. fig: *Vt*, 1. Cum major est particularis & præmissæ meræ affirmantes, *est inconsequentia formalis. Vt: Quidam homines sunt electi. Nulli reprobi sunt electi. E. quidam reprobi non sunt homines. Om. Credentes sunt à Christo redempti. Om. homines sunt à Christo redempti. E. Om. homines sunt credentes. Necesse est omnem electum esse hominem. Necesse est omnem reprobum esse hominem. E. Necesse est omnem reprobum esse electum.* *2.* Cum modi aut indirecti aut prorsus novi *pro formalibus superaddun-tur cæteris modis ex formâ procedentibus. De quo* D. Schei. c. 7. n. 10. c. l. & Dn. Cor. Mart: c. l. *videantur.*

28. In 3. figurâ *est inconsequentia* I. Cum minor est negans. *Vt: Vera fides in Christum justificat. Vera fi-des in Christum non est opus legis divinæ. E. quod est opus legis divinæ, non justificat. Per formam non est consequen-tia, Quidquid sit de materiâ. In simili sic argues: Pater est*

 perso-

persona essentiæ divinæ. Pater non est filius. E. quod est filius, non est persona essentiæ divinæ. Charitas Christiana est opus spiritus S. Charitas Christiana non est spes Christiana. E. quod est spes Christiana, non est opus Sp. S. Minor in his est negans, & eam vt debiliorem *sequi tenetur Conclusio, quæ per vim formæ in his & similibus semper erit falsa.* 2. Cum minor partialiter infertur quâ prædicatum suum in Conclusionem; *Conclusio universaliter infertur: Reductio è modo Darapti ad modum Darij* 1 *.figuræ non legitimè se habet, & quæ alia circa tertiam figuram sunt observanda, quæ latiùs deducam* disp.9.

29. Ita & inconsequentia formalis specialis Syllog: perfecti *fuit: Sequitur* imperfecti, *ut Syllogismi compositi, Enthymematis, soritis, inductionis, Dilemmatis, Exempli & similium formarum. Has, quia imperfectæ sunt, & in accuratis discursibus vix admittuntur, nisi compleantur, præsens insuper* ἐξέτασις *satis mole thesium jam excrevit, alij tempori occasioniq; fortasse tractandas relinquimus.*

Auctariorum loco.

Verum esse hominem, & humanâ subsistentiâ per extraordinariam operationem Dei carere, absurdum non est.

Aliquid per Naturam absolutè sumptam esse mortale, & per eandem complexè sumptam posse non mori, inconvenies non est.

Hominem moratum legitimum furem bonorum fortunæ esse, non vtile solùm, sed honestum est,

Datur propositio vera, quæ tamen sit falsa.